

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorvm Dialogorum Libri  
Qvatvor, Qvos Postremo Ipse Recognovit: Argvmenta  
Singvlis Dialogis Praeposvit, Et Sententias Svbiecit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Samson.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

tarum: utque egregium quid facias in c) Ephra-  
ta, & tibi nominis famam compares Bethlehema,  
fiatque domus tua fimilis domui Pharis, quem  
Judas sustulit ex Thamare, progenie tibi a Jova  
data ex puella,

## SENTENTIA.

*Qui vult defuncti possessionem, habeat viduam.  
Qui vult, quod placet, habeat & quod displicet.*

## SAMSON. Judicum 15.

## ARGVMENTVM.

Samson vinctus ad Palæstinos deductus,  
abruptis vinculis occidit maxilla asini mille  
viros.

*Judæi, Samson, Palæstini.*

**A**n nescis Palæstinos habere imperium in nos  
S. Scio. J. a) Cur ergo incendisti sege-  
tes eorum, magno nostro malo? S. Par pari re-  
tuli. J. Atqui huc venimus, ut te vinctum deda-  
mus eis: S. Si quidem jurejurando confirmatis,  
vos non illaturos mihi manus violentas, vinciatis  
licet. J. Fidem damus. S. Agite, colligate,  
ducite, adducite, quantum potestis. P. Euge,  
adducitur ille hostis noster capitalis, qui immisit  
sceleratas faces in segetes nostras, nunc, nunc  
ulciscemur. Nunquam hodie effugies Samson,  
hic tibi finis adest vitæ. S. Agite vero, si quid  
animi habetis, aggredimini vinctum? experiar  
tamen,

c) Id est, Bethlehema, ut mox declarat.

a) Dominos irritare detrimentosum.

Ephraim tamen, si quid habeo solitarum virium. Euge.  
 P. Perimus, abrupta vincula, sed invadamus un-  
 quem dique, non evadet praestemus nos viros. S. Sed  
 a Jova unde mihi telum? Ecce autem commodum sese  
 offert haec maxilla asini: haec praebit vicem  
 clavæ. Pugnate viri pro virili: sentietis qui vir  
 sim. Hem tibi, qui primus vel laceffis, primus  
 perito. Et vos qui tam dense conglobati estis,  
 sentite, quæ sint vires Samsonis, quin vincit iner-  
 mis armatos. Heus cogitatis pugnare pedibus?  
 quo fugitis? Hic adest hostis, ne prodite victo-  
 riam. Tu quidem hic jacebis, tu quoque adjun-  
 geris ei comes: dormite. Euge Samson, quan-  
 tam cædem fecisti? Maxilla asini quantam fra-  
 gem edidi? Maxilla asini prostravi mille viros.

## SENTENTIA,

*Qui Dei Spiritu præditus est, invictus est, fru-  
 straque constringitur. Deus sæpe vilissimis telis  
 ulciscitur hostes suos.*

noxam nullo unquam vel sacrificio, vel libamine,  
Eli posteritati remissam iri.

## SENTENTIA.

*Qui divinae voci non est assuetus, eam interdum esse putat hominis. Peccantes natos non punire, grave peccatum est. Parentum, quamvis bonorum, indulgentia perdit natos. Natos, qui vere & sapienter amat, castigat. Sed ne quid injuste immodice fiat.*

## SAVLVS. I Reg. 9.

## ARGVMENTVM.

Saulus quærens afinas patris, it consultum Samuelem vatem, & ab eo discit, se futurum Regem.

*Saulus, Puer, Puella, Samuel.*

**E**nimvero satis jam diu conquisivimus afinas, neque invenimus: revertamur domum, puer, ne pater meus, omissis asellis, sit sollicitus de nobis. *P.* Non censeo redeundum esse re infecta. Ajunt esse divinum quendam & gravem virum in proximo oppido, qui quicquid dicat futurum, eveniat. Conveniamus eum, si forte indicet nobis id, cujus causa venimus. *S.* Sed quid offeremus homini: nam etiam pane exhaustæ sunt pærræ nostræ, nec habemus quod dono demus ei: & ire vacuos religio est. *P.* Tace: est mihi in præsentia quadrans sicli argentei, quem dabo ei, ut indicet nobis quam viam insistamus. (Olim inter Israelitas, qui ibant consultum Deum, dicebant se ire ad Videntem: nam qui hodie dicitur